

**Dissertatio inauguralis medica sistens historiam cholerae cum
subsequente pleuroperipneumonia ... / publice defendet Fridericus
Gustavus Moering.**

Contributors

Moering, Friedrich Gustav, 1804-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Lipsiae : Typis Breitkopfii et Haertelii, [1830]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/svr8qak5>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
HISTORIAM CHOLERAE
CUM SUBSEQUENTE
PLEUROPERIPNEUMONIA

QUAM
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS AUCTORITATE
IN ACADEMIA LIPSIENSI
SUMMORUM
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORUM

RITE CONSEQUENDORUM CAUSA

D. VII. MENS. APRILIS A. MDCCCXXX

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU

IN AUDITORIO IURIDICO

PUBLICICE DEFENDET

FRIDERICUS GUSTAVUS MOERING

DOHNENSIS

MEDICINAE BACCALAUREUS

LIPSIÆ

TYPIS BREITKOPFII ET HAERTELII.

VIRIS

EXCELLENTISSIMIS, AMPLISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS

CAROLO AUGUSTO KUHL,

**PHILOSOPH. ET MEDIC. DOCTORI, CHIRURGIAE PROFESSORI PUBLIC. ET FACULTATIS MEDICAE
ASSESSORI ORDINARIO, DEMONSTRATORI CHIRURGIAE IN INSTITUTO CLINICO AD DIV. JACOB.,
CHIRURGO CIVICO, SOCIETATUM MEDICAR. PLUR. SODALI ETC. ETC.**

NEC NON

ERNESTO PIENITZ,

**MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MERITISSIMO NOSOCOMII SONNENSTEINIENSIS MEDICO
PRIMARIO, ORDINIS SAXONUM VIRTUTIS CIVICAE EQUITI ET SOCIETAT. PHYSIC. ET MEDIC.
DRESDENS. MEMBRO CORRESP. ETC. ETC.**

FAUTORIBUS ET PRAECEPTORIBUS

SUMMOPERE COLENDIS

VIRIS

EXCELLENTISSIMIS, AMPLISSIMIS, ILLUSTRATISSIMIS

HASCE

CAROLO AUGUSTO KUHL

PHILOSOPHI, ET MEDICI, DOCTORIS, CHIRURGICAE PRAGAE, ET FACULTATIS MEDICAE

UNIVERSITATIS BOHEMICAE, DE RECTORIS OFFICIO AD HOC JACOB

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

CHIRURGICAE, ET FACULTATIS MEDICAE, UNIVERSITATIS BOHEMICAE, PRAESES, ETC.

RECITAVIT

PIA GRATAQUE MENTE

ERNESTO PIERINI

PHILOSOPHI, ET CHIRURGICAE DOCTORIS, UNIVERSITATIS BOHEMICAE, DE RECTORIS OFFICIO AD HOC JACOB

UNIVERSITATIS BOHEMICAE, DE RECTORIS OFFICIO AD HOC JACOB, ET FACULTATIS MEDICAE, UNIVERSITATIS BOHEMICAE, PRAESES, ETC.

OBTULIT

AUCTORIBUS

AUCTOR.

SUMMOPRE COELIBUS

N. N. Norimbergensis, studiosus medicinae, viginti et sex annos natus, constitutione biliosa, satis robusta, temperamento cholericō; dum puer erat, usque ad septimum aetatis annum saepissime tinea capitis laboravit, nec tamen praeter hanc et variolas tutorias sese ullos morbos, pueros infestantes superasse, commemorat. Ante quatuor annos, lapsus, fracturam duarum costarum spuriarum sinistri lateris passus erat, quae tamen intra breve tempus feliciter sanata molestias non reliquit. Litteris operam daturus anno **MDCCCXXVI** Giesenam sese contulit, ubi paulo post incidit in hepatis inflammationem, quae licet gravior facta, aptissimis tamen remediis adhibitis mox feliciter sanata est. Ex cerevisiae frigidae abusu anno praeterito adfiebatur tussi chronica, et per aliquot tempus sputa, pulmonibus laborantium similia, eiecisse sese refert. Jam studio artis medicae absoluto et de futura sorte desperans, **Rossiam** petiturus, urbem patriam deseruit, atque itinere pedestri, inter quod sua omnia in dorso gestabat, **Berolinum** tendit. At d. **XVIII. Maji** vehementiore animi commotione affectus, quum spiritus vini haustu immodico eam suppressere voluisset, paulo post sensit pectoris oppressionem, quam die **XIX. e. m.** tussis cum anacatharsi mucosa, spumosa, alba, serius magis magisque sicca, conseqebatur. Per noctem subito dolore vehementissimo in aure dextra e somno excitatus est, quem quum putaret ab insecto irritante suboriri, necandae bestiolae gratia oleum amygdalarum in aurem affectam injecit. Sed dolores exinde non mitigati, immo adaucti sunt. Eodem die, d. **XX. e. m.**, lassitudine gravi et virium prostratione correptus, per aliquot horas sub divo jacuerat in terra satis humida.

Sequente die, d. **XXI. e. m.**, sub vesperam horripilationes advenerunt, paulo post calor febrilis: deinde accessit dolor pungens in latere sinistro pectoris adauctus. Sub diem **XXII. e. m.** sputa, jam antea mucosa, spissiora in consistentia magisque flava reddebantur. Accessit die **XXIII. e. m.** vomitus biliosus mucosus, ejusdem generis diarrhoea, quibus ita adaucta est virium prostratio, antea jam ab ipso observata, ut iter continuare non posset et d. **XXIV. e. m.** auxilium in nosocomio **St. Jacobi Lipsiensi** peteret, ubi facta exploratione haecce sunt observata:

Vomitus biliosus, mucosus, vehemens; diarrhoea biliosa, frequentissima; lingua in media parte muco flavo oblecta siccaque; anorexia; sapor amarus, sitis ingens. Dolores urentes in toto abdomine, praecipue autem in ventriculi regione, tactu adaucti; dolor pungens sinistrum pectoris latus occupans, motu et tactu adauctus; situs in hoc latere non tolerabilis; tussis, sputa flava, spissa, quae cruda dici poterant, nec vero cruenta; respiratio paulo difficilior; anxietas et cordis palpitatio nulla. Caeteroquin etiam dolores capitis valde prementes accusabat. Totus habitus erat biliosus; cutis flava, maxime ad oculorum conjunctivam, calida, fere ardens, sicca; pulsus frequens, celer, magnus, duriusculus, aequalis.

Diagnosis.

His omnibus collectis judicavimus, aegrotum cholera biliosa nec minus inflammatoria affectione musculorum intercostalium cum febre rheumatico-biliosa laborare.

Prognosis

quovis modo anceps dici poterat. Primum enim, genio epidemico omnino ad febres gastrico-nervosas inclinante, morbus gastrico-biliosae complicationis, in corpore juvenili eoque itinere animique pathematibus quodammodo fracto, statum nervosum ex criseos retentione quam maxime minari debebat. Certe quidem in duplici hac morbosa affectione, quum tanta vehementia utraque procedere videretur, crisin alteriusutrius turbatam iri, et exinde aliquem lethalem morbum subortum iri, quam maxime habuimus, quod vereremur. Porro vero etiam nobilioribus corporis organis et ad vitam quam maxime necessariis, hepatis scilicet atque pulmonibus, e tam acerba morbi invasione certissima labes adeoque apoplexia mortifera imminebat.

Quae cum ita essent, indicatum erat:

- I.) Ut vomitum atque diarrhoeam adeo debilitantem, quantum ex re esset, imminueremus, ideoque stimulum secretae bilis involvere atque irritabilitatem tractus intestinalis remediis nostris hebetare conaremur;
- II.) Ut nimiam illam totius corporis reactionem, quae tantam febris exacerbationem genuerat, mitigaremus;
- III.) Ut inflammationem musculorum intercostalium frangeremus; utque
- IV.) Crisin tam rheumaticae quam gastricae affectionis producere vel juvare studeremus.

Quum inflammatio in pectore hoc die nondum consummata esset, sed gastrica symptomata praevalerent, topica tantum sanguinis detractio ope hirudinum VIII. instituta est; pro usu interno ordinata emulsio oleosa cum aqua laurocerasi.

Observationes.

Morbi die IV., d. XXV. Maji. Praevalebant et hodie gastrica symptomata atque urgebant adeo, ut aegrotus intra viginti et quatuor horas ad minimum quadragies in insignem virium jacturam vomitum biliosum et fere totidem diarrhoeam passus esset. Ejiciebantur humores biliosi, muco albo permixti. Observavimus cardialgiam vehementem, et in universum dolorem totum abdomen occupantem, tenesimum, linguam siccam, muco fusco, fere nigrescente obtectam, sitim intensam, vocem raucam, clangosam, ciborum appetentiam nullam, cutim siccam, ardentem; pulsum frequentem, celerem, parvum et inaequalem.

Sub vesperam hora sexta tamen fere omnia illa symptomata quoad vehementiam decreverunt. Vomitus et diarrhoea saltem rariores; dolores abdominis, qui antea valde urgebant, non adeo aegrotum excruciant; sed cutis et pulsus ratio fere eadem erat, quae matutino tempore fuerat, contra dolorem in pectoris latere sinistro adauctum conquerebatur.

D. V. morbi, XXVI. e. m. Aegrotus, quamquam et vomitus plane substituerant, tamen per noctem maxime inquietus fuerat; dolores in latere pectoris sinistro eum in modum creverant, ut fere animo delinqueretur. Ipse calor externarum partium auctus erat: situs hodie tantummodo in dorso concessus; tussis eadem, sed siccior, sputa tenaciori consistentia, quam heri, et sanguine tincta; respiratio ipsa brevior; anxietas et inquietudo fere continua. Linguae ratio eadem; sitis etiam nunc magna; appetitus deerat. Dolores in abdomine fere nulli. Cutis sicca, ardens; pulsus frequens, celer, plenus, magnus. Cum febris et inflammationis symptomata noctu graviora fuissent, hora matutina octava venaesectio unciarum octo instituta erat, et quidem cum magno pectoris levamine. Superficies emissi sanguinis exhibuit crustam pleuriticam, satis conspicuam. Constitutum est, ut aegrotus in remediorum usu pergeret. Sub vesperam (hora quinta) aegrotus in universum melius sese habuerat, sed sub horam nonam vespertinam magna exacerbatio locum habuit. Dolores una cum inflammationis symptomatibus ex hoc inde tempore ingravescebant, ut per noctem adeo nonnumquam deliraret. Et

incipiente die (VI. morbi, XXVII. Maji) matutino tempore tussim invenimus vehementiorem; sputa quae heri tineta modo erant sanguine, hodie striis sanguineis intermixta; respirationem breviorē, ita ut asthmicam difficultatem vultus ipse spasmodicis motibus significaret. In gastrica symptomatum serie nihil mutatum. Cutis erat calida, sicca; pulsus frequens, celer, major quam heri, sed aequalis. Judicavimus hodie quoad diagnosin: inflammationem antea tantummodo musculos intercostales et pleuram occupasse, nunc ad pleuram pulmonalem adeoque ad externas parenchymatis pulmonalis partes sese propagasse; quam ob rem novam venae-sectionem ordinavimus, sed post vesperam instituendam, ne exacerbatio vespertina rursus eandem vehementiam iterum utque heri nancisceretur.

Sexta hora omnino laudavit venae-sectionis effectum. Dolores, respirationis difficultas, anxietas et inquietudo imminutae erant, atque pulsus ratio rerum statui, haud dubie meliori, bene correspondebat.

D. VII. morbi, XXVIII. Maji. Magna voluptate noster retulit, bene sese transegisse noctem, et nonnihil per singulas vel dimidias horas dormivisse. Dolores in pectore et hodie mitigati, tussis imminuta, sputa parca, mucosa, sanguine non intermixta; respiratio liberior quam heri; situs tamen lateralis nunc quoque tolerari non potuit; anxietas et inquietudo defuit. Cutis calida, humida, pulsus adhuc naturali frequentior, celer, sed fere mollis. Perreximus in remediōrum supra dictorum usu.

D. VIII. morbi, XXIX. m. Maji. Aegrotus per noctem interdum deliraverat. Accusat hodie dolorem magis pressorium in latere pectoris sinistro. Tussis non eandem quam prius virium intentionem ciet; sputa largiora, mucosa, alba, striis flavis spissioribus intermixta, quae pro criticis excretionibus iure haberi poterant; respiratio erat multo liberior. Jam decrescente inflammationis impetu, magis magisque gastrica symptomata perspicua reddita sunt; lingua enim in tota superficie muco albo leviter adhaerente obtegebatur. Praeterea accusavit aegrotus permagnam lassitudinem totius corporis; cutis erat calida, humida; pulsus hesterno similis. Ordinavimus ad crisin in utroque systemate promovendam, exsudationem internam impediendam, et tractum intestinalem paulum sublevandum:

℞. Tartari emetici gr. j

Extracti saponariae ℥ij

Salis ammoniaci ℥ij

Infusi foeniculi ℥vj

Misce et solve D. S. Omni bihorio cochlear majus.

D. IX. morbi, XXX. m. Maji. Largiter sudavit per noctem eaque finita etiam epistaxin expertus est. Dolor pressorius in pectore sinistro remansit, tussis tamen non adaucta; sputa multo magis cocta erant. Spiritus facilius quidem ducebatur, attamen profundiores inspirationes semper tussis subsequabatur. Lateri dextro jam incumbere poterat. Lingua tantummodo in media parte muco ex albo flavescente obtegebatur. Heri sub vesperam alvi evacuatio pultacea facta erat. Placuit, ut, jam fracta inflammatione, ad resorptionem adaugendam topicamque nervorum irritationem imminuendam epispasticum adhiberetur. Vesicatorium itaque impositum est loco dolenti.

D. X. morbi, XXXI. m. Maij. Retulit aegrotus, se hodie rursus dolores pungentes in pectore sentire, et tussim in universum sicciorem esse. Sputa nunc omnino cocta, et striis flavis fuscis, cinereis intermixta erant. Linguae ratio hesternae. Cutis humida, calida; pulsus quidem naturali frequentior, celerior, sed satis mollis, aequalis.

D. XI. morbi, I. m. Junii. Laudavit aegrotus vesicatorii usum, quum jam neque sub tussi, neque corporis motu dolor punctorius in latere pectoris sinistro provocaretur. Accusavit autem dolorem in lienis regione, quo loco ante quatuor annos fracturam costarum spuriarum expertus est. Respiratio et tussis naturali morbi decursui accommodatae erant. Sputa etiam nunc cocta, critica, multo faciliore opera excreabantur. Lingua in media parte muco fusco nigrescente obtecta; alvus ex tribus diebus clausa; quam ob rem calomelitis usum cum pulvere foliorum sennae ad alvum ducendam ex re esse duximus.

D. XII. morbi, II. m. Junii. Subesse adhuc irritationem in regione pectoris sinistra dolor obtusus, tussis et sputa testabantur. Haec vero hodie non striis tantum coctis intermixta, sed ex toto jam critica appellanda erant. Lingua muco flavo in media parte obtecta. Appetitus rediit cum sapore naturali. Remedia heri adhibita secuta est alvi evacuatio; in urina quoque sedimentum criticum conspeximus. Ad irritationem pectoris internam derivandam usus repetiti vesicatorii propositus est. Jussimus etiam, ut aegrotus in calomelitis et sennae usu pergeret.

D. XIII. morbi, III. m. Junii. Dolores tam in pectore quam in lienis regione vesicatorio imminuti ideoque et tussis et sputorum anacatharsis sublevata; sputa ipsa vere cocta. Situs in sinistro latere nondum tolerabilis. Lingua muco fusco obtecta, alvus justo modo soluta.

D. XIV. morbi, IV. m. Jun. Hodie quidem omnes dolores tam in pectore, quam in liene evanuerant. Retulit aegrotus, se hodie matutino tempore dolorem pungentem in musculo pectorali majori sinistri lateris percepisse, qui a certo quodam puncto exiens sensim sensimque majorem obtinuerit locum, sed eodem modo, quo majorem ambitum nancisceretur, etiam vehementia decrevisse, ita, ut denique ex toto evanisset. Situs in sinistro latere nunc minime incommodus, respiratio libera, tussis et sputa fere nulla. Lingua pura, sapor et appetitus normalis, alvus justo modo soluta. Judicavimus: stadium criseos nunc in utroque systemate peractum esse. Ad vires in convalescentiae stadio erigendas praescripsimus:

Rx. Extracti centaurei minoris ʒjjj

solvantur in

Infusi menthae piperitae ʒvj

addantur

Tincturae aurantiorum ʒjj

M. S. Omni bihorio cochlear majus.

Convalescentiae cura exinde bene processit, ita ut post aliquot septimanas nosocomium nostrum sanatus relinquere posset.

EPICRISIS MORBI.

Antequam ipsam morbi epicrisin aggrediar, necessarium esse videtur, ut imaginem ejus accurata, sed praecisa historia exhibeam: quam diagnosi nostrae, nomen tantummodo morbi exhibenti, supplemento augmentoque futuram esse spero.

Duplex igitur malum aegroti fuit, rheumaticum alterum, alterum biliosum; utrumque, diversis momentis praedisponentibus adjutum, fere simul prodiit atque effloruit. Rheumatismum primo monstravit *inflammatio musculorum intercostalium*, quam vero mox sequebatur status biliosus, isque tam vehemens, ut *cholera violentissimam* sisteret, rheumaticaeque affectioni penitus praevaleret. Profligata cholera atque tam arte quam natura mitigata, omnino ante criseos universalis topicaeve perfectionem, recrudescerebatur rheumaticum pathema, renovatoque vigore et musculos costales repetiit et pleuram pulmonumque parenchyma rapida celeritate invasit, ita, ut *pleuroperipneumoniam gravem* conspiceremus.

Tandem, quum haec quoque culmen nacta esset, evacuationes criticae tam topicae, quam universales factae sunt: illae per sputa e membrana mucosa pulmonali secreta, haec per cutem remollescentem ac perspirantem: certe in his inflammationis rheumaticae indicatio sine dubio aderat, quam statim gastrica crisis excipiebat, per linguam muco albo, mobili obductam atque alvinas excretiones pultaceas manifesta. Jam vero cum convalescentia et appetitus hominis et vires, quae tantopere fractae fuerant, rediere.

In judicio de hac affectione morbosa ferendo jam exordiendum erit in *causarum praedisponentium* disquisitione: inter quas

I. quod *hepaticam* affectionem attinet, enumeranda erit

a) biliosa constitutio adolescentis,

b) hepatitis praegressa,

c) cura de futura sorte sua;

II. *Peripneumonicam* affectionem praeparasse videri possunt

- a) catarrhus chronicus, quem integro anno antea sibi contraxerat aeger;
- b) iter, in quo homo non adsuetus grave onus per XXXVI miliaria in dorso portavit;
- c) ipsa juvenilis aetas ejus.

III. *Utriusque* vero scintillam summopere fovisse putandum est *temperamentum* Nostri, quod cholericum dicere debebamus.

I. a) *Constitutionem* vocamus peculiarem illam rationem, qua in hominibus singulis singula corporis organa et systemata (somatica) efformata ac perfecta sunt. Quod si re vera prorsus aequalem universae organisationis perfectionem non invenimus in rerum natura, immo idealis illa est et valetudinis perfectae iconem refert: necesse est, in singulis inveniantur singulae partes vel series etiam organorum, reliquos perfectione praestantes et quasi praerogativam aliquam a natura gerentes. Consentaneum vero etiam est, ex ea singulorum praecellencia variari omnem processum organicum multis modis, et vero etiam opportunitates inde suboriri earundem partium, ad quamvis affectionem morbosam, interno externove stimulo excitatam. Hinc in biliosis venositatem primas agere partes, hepatisque, utpote hujus systematis officinam, functionem praevalere videmus. Cujus rei in nostro signa manifesta apparuerunt: fibrae rigor, integumentorum siccitas et prae caeteris partium corporis nudarum color flavescens, turgorque tandem venarum.

Vides principatum systematis venosi et biliosi, neque negabis, per causam occasionalem hoc systema afficientem, morbi praedispositionem ad hunc ipsum potuisse evehi, idque jam actione adaucta sola fieri potuisse.

b) *Quoad hepatidem praegressam.* Systemata et organa, quae prae caeteris in corpore vigeant, jam hoc ipso principatu suo facilius morbis corripunt tum supra monuimus, tum hujus nostrae historiae exemplo edocemur. Jam vero vi illa atque actione vitali ad morbum usque progressa, ejusmodi organon eo magis morborum aliorum [injuria] patere in promptu est. Ita factum est, ut nostri aegroti hepar, cui jam ex constitutione hominis venoso-biliosa morbi imminerent, ob gravem inflammationem superatam multo facilius, alia et nova accedente causa occasionali, labem pateretur.

c) *Cura et anxietas de sorte sua futura.* Hominem de sorte sua sollicitum, quin pejora praesentibus metuentem, animi anxietas, insomnia, fortasse etiam

vivendi ratio neglecta urgebit, quae quantam exserat vim in concoctionem, assimilationem corporisque nutritionem, innumeris edocemur exemplis. Hinc vero effici, ut praeter injuriam omni vitae vegetativae illatam, imprimis sanguinis tum in toto corpore, tum in systemate venae portae circulatio impediatur, stagnatioque adducatur, physiologia et pathologia monstrant; illa quidem ex nervorum in systema sanguiferum imperio, haec ex organicis in systemate venae portae et hepate commutationibus. Praeterea in nostro ex vitae genere inconsueto inter peregrinandum, ciborum atque potus diversitate, horum assumendorum tempore saepe iniquo, affectionem organorum abdominalium augurari potuimus.

II. *Transeundum erit ad causas pleuroperipneumoniae praedisponentes, quarum*

a) *primam quaerere liceat in catarrho chronico ex nimio cerevisiae fortis abusu.* Aegrotus ipse quidem censuit, se per potum cerevisiae gravioris nimium catarrho chronico aliquando esse tentatum, quippe quae affectio statim sit subsecuta. Nihilominus tamen ille morbus, ubi in cerevisiae usu unquam voluerimus quaerere causam, secundarius fuisse videtur atque derivandus ex congestione. Nimirum stimulo cerevisiae fortioris spirituosissimo fines nervorum ventriculi et duodeni irritantur, unde tum digestionis organa ad functionem validius exsequendam commoventur, vel adeo ita sollicitantur, ut ex torpore insequente blennorrhoea et flatulentia oriatur, tum vero etiam per vasorum nervos incitatos affluxus sanguinis ad organa varia adaugetur, imprimis ad caput et cavum thoracis. Ex affluxus hujus incremento membranarum mucosarum secretio augeri solet, qua irritamentum quoddam et tussis provocatur. Nescio etiam an non per consensum, quem dicere nunc temporis consueverunt, affectio membranae intestinalis, organorum respirationis morbum adduxerit, quod in organis sibi ratione quadam respondentibus evenire experientia probatum habemus. Quaecumque vero catarrhi hujus chronici fuerit causa, quaecumque origo, hoc certum mihi habeo atque persuasissimum, inflammationem pleurae costalis atque pulmonalis subsecutam facili negotio transmigrasse atque receptam esse a substantia pulmonali, utpote quae ex catarrho praegresso male affecta sit.

b) *Molestia in gestanda sarcina satis gravi per iter XXXVI. miliarium.* Aegrotum in itinere pedestri satis diuturno sarcinam omni re familiari sua repletam dorso gestasse, supra monuimus. Quo onere musculi thoracis et costarum coerciti, pulmonum expansio justa impedita respiratioque brevior, celeriorque reddita est,

imprimis cum corpus validius motum plus exigat et consumat oxygenii. Hinc sanguinis ad pulmones affluxus accrevit, cujus impetus, cum volumine suo vasa repleret atque dilataret, alterum existit momentum, quod impediret, quominus canales aëre rite expanderentur.

Quid igitur factum? Non solum vasorum resorbentium vis debilitata, sed secretio una cum excretionem turbata est. Excretionis imminutae hoc fuit incommodum, quod principio carbonico ob vias aëreas minime justo ambitu extensas parum spatii pateret, in quo ad externa perveniret et in aërem posset avolare; id quod eo magis fuit necessarium, cum per musculos agitados principii carbonici in sanguine copia augetur. Hic etiam nova polycholiae causa latet. Verum secretio etiam pulmonalis, mucii scilicet ex superficie tunicae pulmonum mucosae, et ipsa imminuta est, cum vapor ex pleura pulmonali oriundus sanguinis, majori copia advecti, auxilio auctus videretur, quippe cujus secretionem neque mechanicum quoddam obstaculum impediverit, neque reliqua pulmonum secretio, utpote subnulla, potuerit imminuere. Ita hoc organon in functione sua vario modo turbatum aptius est redditum, quod morbum admitteret. Nisi vehementer fallor, hoc ipso casu luculenter demonstratur, morbum primo universalem ex lege quadam et facile invadere partem corporis, quae ex morbis praegressis labefactata sit.

c) *Aetas aegroti.* Nostri aetatem potuerimus habere pro confinio inter juvenilem et virilem, in quo corpus omnibus numeris perfectum atque absolutum est et quoad partes singulas omnes summa vi pollet, ita quidem, ut systema irritabile primas partes agat. Sed cum summa illa vitae organicae contentio eximiusque vigor non nisi adauctae inter sanguinem et aërem atmosphaericam commutationis ope sustentari queat, rursus officia organi respiratorii caeteris palmam praeripiunt, atque sanguinis ad pulmones affluxus augetur.

Jam quod supra posuimus, quo pars corporis aliqua sit excultior, imprimis si irritabilitatem spectaveris, eo facilius actionem normalem reddi posse nimiam et morbosam; id in organo respirationis nostri aegroti metuendum erat, quippe quae insuper 1) rerum externarum impetui atque injuriis, praeter cutim, maxime sint exposita; 2) a corpore ipso vi quasi compellantur ad validius agendum. Ex hoc fonte propullulant hujus aetatis pedissequi pulmonum morbi, congestiones, haemoptyses, pneumoniae et, quae scenam praeccludere solent, phthisium genera.

III. Pro causa praedisponente utriusque morbi et gastricae affectionis et

inflammationis rheumaticae *temperamentum* nostri *cholericum* haberi poterit. Cujus vocis ne cum constitutione, de qua supra mentionem injecimus, oriatur commixtio, scire licet, constitutionem nobis esse indolem vitae organicae universae, quam singula quaeque corporis systemata et organa vicissim teneant: temperamentum vero esse vitam hominis, quatenus tum rerum externarum sensum in se recipere, tum sine stimulo externo quasi ex intimo agere queat.

Quod cum ex ratione systematum organicorum pendeat, constitutio seu habitus corporis ut temperamento et hoc illi respondeat, necesse est. Nostri aegroti temperamentum ita comparatum fuit, ut, quo fortior esset in perficiendo corpore receptivitas et reactio, eo rapidius etiam illud consumeretur.

Ita cum ex hoc ipso temperamento corpori gravius et facilius morbi periculum imminet; tamen ope et beneficio reactionis adauctae, quam adesse diximus, rerum externarum injuria validius suppressitur integritasque partium corporis humani servatur. Utrumque in nostro aegrotato per temperamentum fuisse effectum, videre licet, cujus scilicet corpus, celeriter et graviter turbatum, auxilio reactionis satis fortis servatum est, ita, ut hujus temperamentum non solum morbi causam praedisponentem, verum etiam salutis remedium existisse, putandum sit.

Enumeratis atque dijudicatis causis praedisponentibus ad occasionales examinandas transeo, eandem divisionem secutus.

Causam bilis et quantitate et qualitate morbosa secretae choleraeque inde ortae pono: a) *iracundiam cum potu spiritus vini*; b) *refrigerium ex situ hominis jam febricitantis sub Jove causam statuo affectionis rheumatico-inflammatoriae.*

Ac primum quidem, quod iram gravem attinet, haec commemoranda sunt. Noster, rei familiaris angustiis pressus, miseriarum finem atque angiportum quasi se habiturum esse arbitratus, apud amicum Halae degentem, spe sua vehementer frustratus est. Ille, quem noster inde ab annis academicis sibi amicitia conjunctum esse putaverat, cum neque non recepit tantum, sed etiam reprehendit. Quid mirum, quod tum ob animum hominis jam irritatum, tum ob temperamentum cholericum ex objurgatione tali iracundia extiterit vehementissima eaque tanta, ut ad plagas fere pervenerint? His enarratis meum erit demonstrare, quomodo fiat, ut ex corpore vehementer commoto exoriatur bilis secretio et copia et natura alienata. Fieri hoc omnino, cum experientia in dies doceat, nolo probare, at quomodo fiat, in hoc explicando totius rei vertitur cardo. Animo valide conturbato organa voluntati sub-

jecta, vi quadam sollicitantur ad fugandam causam noxiam. Ita systematis nervorum cerebralium actio provocatur validior, quae quo vehementior animi pathema fuit, eo major existit. Hinc vero ex conturbato actionis nervosae aequilibrio variam variae corporis humani partes et systemata irritationem patiuntur, quae videm prima et proxima observatur in systemate vasorum. Haec quidem hucusque perspicua sunt; cur vero ad hepar sanguinis augetur affluxus, cur illic secretio bilis alienatur? Hujus rei ut causas eruerem, multorum scriptorum perlegi libros, neque vero quod mihi satisfaceret, inveni. Quapropter venia sit data *hypothesi*, quam vero tantum ut *hypothesin* exhibeo. Nititur ea in mutua utriusque systematis nervosi vicissitudine, ex qua colligo, corporis sani et systema cerebrale et gangliosum aequalem et parem habere vim vitalem et energiam, ut alterius actio paullulum augeatur, neque hoc incremento alterius vis vitalis minuatur. De his Harles in „*allgemeine Krankheitslehre*“ pag. 86 ita disputat: „*Die Stärke oder Höhe und Freiheit der Sensations-thätigkeit in dem markigen Nervengebiete steigt, indem sie in dem fibrösen Gebiete vermindert wird, und so in umgekehrter Weise kann das fibröse Nervensystem zu einer sein normales Verhältniss überschreitenden Sensationshöhe mit ungewöhnlich freiern und feinern Sensibilitätsäusserungen gesteigert werden, während die sensitive Energie im Marksystem in entsprechendem Grade vermindert und gleichsam zurückgedrängt oder gebunden wird.*“ Tale mutuum quid adesse, jam in corporis penitus sani actionibus luculenter est cognitum. Cum v. c. inter concoquendum systema gangliosum ad summam, quae intra sanitatis limites cogitari potest, actionem evehitur, animi acumen debilitatur; unde vetustissimum illud: plenus venter non studet libenter. Contra literatos viros, quorum animus multa cogitando et perscrutando magnopere agitatur, etiamsi corpus rite exerceant, vitiis concoctionis laborare constat, oriundis ex actione systematis gangliosi imminuta. Iracundia, quam systema sensibilitatis celeriter et gravissime occupare supra monuimus, hoc plus justo irritat, ita ut aequilibrio prorsus sublato systema gangliosum cum organis, quae ipsi parent, deprimatur. Irae causa ubi disparuerit, sensim sensimque sensibilitas adaucta mitigatur et quod antea latebat systema automaticum supra normam attollitur. Neque necessarium videtur, aequali ratione ut sibi respondeat actio alterius organi adaucta, alterius suppressa. Quam mutuam vicissitudinem non solum in utroque systemate nervoso, verum etiam in partibus uni eidemque systemati nervoso subjectis animadvertere possumus. Coeci subtiliore auditu et tactu quam alii gaudent.

Actio systematis gangliosi adaucta et praevalida in bilis secretionem copiosiore et alienata conspicua fuit. Neque mirandum, hepar hujus secretionis mutatae exstitisse officinam, quippe in quo multiplex lateret praedispositio. Idem vero in omnibus fere, nulla hepatis lae praegressa accidere solet, cujus rei causam in eo quaerendam esse puto, quod prae reliquis abdominis visceribus intime cum systemate ganglioso cohaereat iecur. Caeterum notatu dignum videtur, praeter hanc actionem hepatis adauctam, ex pathemate animi fere semper alius etiam organi functionem prae caeteris commutari. Ita taedium alicujus rei creare vomitum animadvertimus, angorem agere in sphincteres musculos, moerorem et tristitiam in secretionem lacrimarum, et sic porro.

Alia forsitan hypothesis peti poterit ex ratione systematis sanguiferi ad nervosum, quae duplex quidem statuenda est, cum et nutritioni et irritationi systematis nervosi praesesse queat sanguis. Systemate nervoso per iram commoto, sanguinis affluxus ad organum centrale systematis cerebri inchoatur ex lege „ubi irritatio ibi affluxus.“ Hinc venarum turgor, facies rubicunda, carotides pulsantes et hujus generis plura. Stimulus externe illatus si cessat, causa congestionis ad caput sponte tollitur et sanguis, antequam prioribus et justis circulationis limitibus coercetur, viscera abdominalia prae caeteris petit, utpote quae intra congestionis ad caput tempus sanguinis inopia laborarint. Jam vero ex affluxu sanguinis adaucto nervi abdominis gangliosi irritantur, ita ut per utramque causam actio systematis venae portae supra normam augeatur. Harum hypothesium quanam alteri praestet, dijudicare non audeo.

Licet transire ad examinandum spiritus vini effectum, cujus satis magna copia aegrotus, irae exstinguendae causa, usus est. Quae fuerit vis spiritus vini, gravissimi irritamenti in systema vasorum et nervorum jam vehementissime commotum, facile cogitatur. Symptomata ex usu spiritus vini inverso ordine obviam fiunt, cum demum gangliis affectis, systema cerebrale corripitur. Quae cum ita sint, intelligitur, tum miram bilis depravatae copiam secretam fuisse, tum inde choleram emanasse, morborum facile acerrimam, quaeque intestina et ventriculum satis superque irritatum offenderet. Hinc etiam explicandum, quod effectus perdurabat, jam dudum extinctis et a corpore remotis causis occasionalibus.

II. Refrigerium, causa rheumatismi primaria.

Refrigerium, ut et locum habere et corpori nocere possit, eadem exigit hoc

recipientem et bene quasi praeparatam. Talem se habuisse cutem in nostro docent corporis lassitudo et febris prodromi, pernoctatio sub dio, situsque in herbis humidis. Pro corporis praedisponente habitu, vehementia frigoris et receptivitate, morbus ingruet aut major aut minor, partialis aut universalis. Singularem praedispositionem et receptivitatem in nostro casu gaudebat cutis, utpote cujus irritabilitas, febre inchoata, adaucta esset. Frigore accedente sublata cutis provincia, neque secretio solum quarundam materialium impedita, verum organismus recipere quoque in se principium carbonicum et azoticum, coactus est. Inde irritatio subsequuta est interiorum parietum vasorum, ita ut vehementius etiam quam antea reagere coeperint. Jam ex his pathologica quaedam formatio prodit, quae in rheumatismo telas fibrosas serosas prae caeteris occupat, et licet functio cutis sit restituta, licet aegrotus sudore madeat, perdurat, ita ut illud: cessante causa cessat effectus, hic frustretur. Neque aliter aequilibrium in febre universali restituitur, quam si uni alterive modo corporis parti morbus inhaeserit, alia novaque secretio vicem suppressae cutaneae gerat. Noster aegrotus, id quod solet evenire in rheumatica graviore affectione, mutationem compositionis et mixtionis organicae — dyscrasiam sive putredinem Galeni — passus est, quam pro more organismi, quaevis nociva a se removendi, reactio febrilis sequebatur. Haec vero febre rheumatica localis quoque reactio resuscitatur, quae materiam noxiam removet, sedemque in tunicis fibrosis fixam tenet. Qua secretionem peracta febris rheumatica remittit, ita ut hoc secretum re vera morbosum pro crisi locali perversa ex errore loci, ut veteres ajebant, haberi queat. Quod vero secretum jam est, chemica et mechanica ratione irritando reactionem localem excitat, quae usque ad partis affectae inflammationem progredi valet. Sed de his infra. Febris vero, quae illam comitatur, jam non febris ab irritamento primaria erit dicenda, quippe cum a systemate vasorum morbus ad unam alteramve partem sit translatus, sed mere symptomata est.

Consideratis causis occasionalibus, totius morbi decursum, sedem, proximam causam atque naturam contemplemur. Quicumque morbus, qui universum organismum corripit, peculiarem a natura ipsi praescriptam viam sequitur, qua eo tendit, ut corporis ejusque functionum integritas servetur. Hujus vero viae finis ut plurimum posita est in formanda et excernenda materia, quae aut per systema universale quoddam, aut per singulam partem erat praeparata. Raro admodum prius illud evenire videmus sine affectione locali, cujus causa in eo potissimum latet,

quod in plurimis certa quaedam organa facilius corripiantur reliquis, ita ut haec caussarum noxiarum impetui celerius succumbant. Rei luculentissimum adest exemplum in ipso aegrotato nostro. Systema vasorum omne a caussa nociva externa — frigore — est offensum et correptum eo magis, cum jam febrilis affectio subesset. Hoc formata materia morbosa, id quod reliquum fuit fibrosae parti musculorum intercostalium perficiendum tradidit. Hi igitur quidquid actionis justo majoris systema vasorum habuerat, receperunt, remanente tamen irritatione in vasis ob statum febrilem.

Rheumaticae affectionis aream musculos intercostales esse futuros, primo cognitum est per dolores pungentes volatiles, mox in terebrantes, urentes, pressorios transgressos, auctosque tactu. Cutis calor in hisce locis multum auctus, tumoris vestigia exigua. Respirationis ea affectio, ut aegrotus inter spiritum ducendum vehementi dolore exeruciaretur, qui tum per musculos intercostales extensos, tum per pleuram costalem et huic adnexam pulmonalem haud dubie ortus est. Quo major febris, quae localem morbum comitatur, est, eo vehementius et gravius organon aliquod afficitur, neque tamen inverso ordine ex morbi partialis modo de febris natura et gradu conjecturam facere licet. Utrumque vero vicissitudine quadam tenetur, ita ut per febrem primum localis affectio exoritur, ex hac per systematis vasorum irritationem febris. Itaque in nostro rheumatismum usque ad inflammationem elatum esse, symptomata monstraverunt. Quodsi secretionem illam, quam antea memoravimus pathologicam, tamquam causam proximam spectamus, quae locum teneat in systemate fibroso: sponte dijudicatum esset, utrum materia, quam secretam in interiore superficie tunicarum fibrosarum et serosarum atque liquorem gelatinosum formantem inveniamus, caussa an effectus morbosae actionis sit; licet ex altera parte cum indole inflammationis magis congruere videatur, si secretionem habeamus demum pro effectu affectionis phlogisticae. Jam primo quidem stadio rheumatismi haud raro tumor partis affectae animadvertitur, quam vero facili negotio ab affluxu humorum aucto derivare posse mihi videor.

Forsitan quaerat aliquis, qua via materia illa, ope secretiois pathologicae nata, localis illa systematis vasorum crisis, ex corpore removeatur. Huic fini prospicit aucta vasorum resorbentium actio (febris localis?), qua reducitur in sanguinem, ex quo vel sudore vel urina exit.

Inflammatiō cum hucusque solos musculos intercostales occupatos temerit,

nec non pleuram costalem et febris modica apparet, satis habuimus applicasse hirudines, quorum auxilio in remota, certe mitigata est phlegmasia. Adfuit etiam nunc inflammatoria musculorum intercostalium affectio, cum illico gastricus morbus summa vi prodiret. Vehemens bilis et mucii vomitus cum diarrhoea haud minus gravi apparuit doloribus in abdomine per quemvis vomitum et sedem, vicissim sed junctim etiam quovis horae quadrante repetitis. Ita res in acme morbi comparata erat. Ex usu remediorum, quae laudavimus, primum vomitus rarior evenit, quo fere penitus fugato diarrhoea etiam cessavit, postquam per integros tres dies status hic biliosus perstiterat. Interea rheumatica inflammatio vigere perrexit usque ad perfectam status illius gastrici formationem, ubi repente nulla critica secretionem praegressa, tamquam per morbum altius corpori inhaerentem victa et suppressa siluit. Morbum mitiorem suppressi nonnunquam graviore, docuit experientia, idque fieri videtur, ut natura omnes ad unum recte riteque excolendum vires possit intendere. Exemplum ex physiologia hic laudari poterit graviditas, in qua omnia, quae corpori in promptu sunt, ad unam illam embryonis nutritionem consumuntur, ita ut morbi adeo nisi tollantur certe retardentur, qui deinceps citius et vehementius redeant. Fugati erant dolores pectoris sinistri pungentes et prementes, calor hujus loci illi reliquarum corporis partium omnino par, rubor nullus; vel tumor exiguus disparuerat. Tanta cum virium contentio adesset atque irritatio systematis vasorum et nervorum, quid mirum, quod febris vehementia et periculum quavis paene hora accrescerent? Inquietudo, impatientia lectuli, insomnia non cessarunt, usque dum minuta locali affectione et ipsa minuerentur.

Quae fuerit vehementius illius bilis fluxus causa, jam in enumerandis caussis morbi occasionalibus explicare conati sumus. Ut vero ingentis mucii copiae, quam ejectam vidimus, origo demonstretur, ponendum est, gravi biliosa irritatione non solum aequilibrium inter secretionem et resorptionem intestinorum esse turbatum et sublatum, verum etiam vim resorbentem omnino omnem esse prostratam, secretionem autem membranae intestinalis mucosae magnopere auctam. Huc etiam contulisse videtur officium cutis impeditum, quam sententiam, nescio an non lex illa probabilem reddat, ex qua altera functione corporis suppressa altera increseat.

Si disquirendum erit, cur bilis majori copia secreta et depravata etiam cessante causa occasionali perduraverit, haec potissimum in censum vocanda esse puto. Quaevis pars, ut munere a natura sibi tradito fungatur, certo quodam irritamento

gaudere debet, vario quidem secundum variam organi structuram et provinciam. Quodsi hoc ad hepar transtuleris, irritamentum huic a natura datum invenies:

1) *Sanguinem*. Quo major hujus liquoris copia ad hepar adfluit, eo magis irritamentum praebet ad functionem validius peragendam. Jam bile tractum intestinorum irritante plus sanguinis advectum est abdomini, ex quo et irritamentum hepatis majus et materia ad bilem ipsam parandam largior exstitit.

2) *Conjunctionem hepatis cum duodeno per ductum choledochum*. Motus duodeni peristalticus cum ex lege organismi hepar ad functionem explendam incitet, hic ipse morbo adauctus justo fortius irritamentum illi visceri porriget. Quantam igitur vim in bilis secretionem exserat necesse est motus intestinorum antiperistalticus, qualem in nostro observavimus!

3) *Nervorum stimulum*, qui, usque dum naturalis, bilis secretionem non mutabit. Nervorum vero sensibilitas adaucta aut ex secretionem organi justo majore emanabit, uti in nostri casus initio per causas occasionales, aut ex actione partis vehementiore proficiscitur. Tale quid ex parte affecta ad nervorum vitam redundasse hic ponendum est, et inde ab eo quidem tempore, quo rerum externarum vis mitigata aut remota erat.

Quae licet ita recte possint cogitari, nervorum nimirum actionem auctam ex majore hepatis et intestinorum functione derivandam esse; nullo modo negaverim, rursus illam vim quandam exseruisse in partes illas jam affectas.

4) *Bilem vesicula fellea contentam*, quae cum pro naturae ordine hepar ad functionem incitet, ubi fuerit pessumdata, jure meritoque inter irritamenta morbosa numeratur.

Porro in *irritamentis* affectionis biliosae morbosae potissime *status intestinorum morbosus* recensendus est. Vesicula fellea, cum, quod supra monuimus, arcte cohaereat cum duodeno et membrana mucosa replicata in diverticulo Vateri, ductum choledochum investiat, facile labem ad intestina propagari patitur. Itaque si blennorrhoea membranae mucosae intestinalis adfuit, nil obstat, quominus in vesiculam felleam et hepar illa transiret.

Ita ducimur ad *causam proximam cholerae*, quam aegrotus noster perpesus est. Quodsi ex opinione et systemate recentiorum quorundam scriptorum naturam morbi a causa proxima discernimus, hanc quaerere debemus in secretionem bilis per iram et subsecutum spiritus vini haustum provocata, naturam vero in affe-

ctione fere inflammatoria membranae mucosae et musculosae, quam irritamentum biliosum in ventriculo et intestinis genuerit. Neque possum mihi persuadere, ut credam, in rheumatica quoque affectione causam cholerae latuisse, quae num statim a systemate vasorum tractum intestinale petierit, an a musculis intercostalibus fuerit translata, dijudicare non audeo. Poterit quidem aliquis existimare, febrem rheumaticam duas simul partes occupasse et alteram ad alteram, quae gravior sit reddita, per metastasin transmigrasse, fultus ille nostri aegroti exemplo, utpote in quo, praecedente statu gastrico, phlogisticum pectoris malum siluerit: verum repugnat forma morbi, qui in intestinis nondum ad veram inflammationis indolem pervenerat. Hinc verosimilius videtur, tractum intestinorum omnino uno eodemque tempore ac musculos intercostales rheumatica labe laborasse, nec vero affectionem musculorum intestinalium graviolem quidem, sed ex irritatione bilis magis spasmodicam, fuisse metastasin rheumaticae inflammationis pectoris, potius hanc modo minuisse, ita ut postea rursus apparuerit. Veram hanc nostram fuisse sententiam, ex remediorum effectu argumentari licet. Etenim si vera gastritis cum enteritide adfuisset, vomitus et diarrhoea caeteraque symptomata gastrica involventibus et lenientibus solis non essent fugata. Decrescente vero statu gastrico, resuscitabatur affectio pectoris. Vix enim cholera disparere coeperat, cum inflammatio musculorum intercostalium, rediens ad pleuroperipneumoniam veram, efformabatur, ita ut cholera alio morbo graviore superata esse videretur. Febris vehementia eo usque accrevit, ut noctu deliria adessent. Dolores punctorii et urentes non solum in externis pectoris partibus animadvertentur, sed interiora etiam occupabant. Calor partis thoracis sinistrae multum auctus, tussis subsicca, sputa tenacia, cruda, sanguine tincta, et vel adeo serius striis sanguineis notata. Respiratio brevis, anhelans, dolorosa, situs modo in dorso tolerabilis, perpetua inquietudo cum angore et cordis palpitatione; cutis sicca urens, facies rubicunda, turgor venarum, pulsus quam maxime febrilis. Quae cum ita se haberent, sanguinem secundo venam detrahere non sumus veriti, quamvis cholera vires aegroti valde debilitasset. Recte nos egisse, successus docuit, etenim singula affectionis localis symptomata cum febre mitigata sunt. Supra sanguinem vero crusta pleuritica fuit conspicua, et crassitie et firmitate insignis. Nihilominus quae supra recensuimus symptomata ad priorem mox redierunt vehementiam, ita ut altera venae sectione opus esset. Nunc demum aequali ratione decreverunt signa morbosa atque critica naturae molimina apparere, et pri-

mum quidem universalia per sudorem largum et multum levaminis habentem. Cum vero crisis per intestina retardari videretur, hujus et illius morbi pectoralis juvandi gratia, Tartarum emeticum in refr. dosi cum Sale ammoniaco optimo successu adhibuimus. Sputa vere critica excepta sunt sedibus pultaceis.

Inter hoc stadium criticum accusabat aegrotus dolorem in lienis regione, loco, quo quatuor annos ante duarum costarum fracturam sibi contraxerat. Quum autem neque inflammationis, neque placentae febrilis, neque alius morbi symptomata lienis animadverti possent, illum dolorem haud dubie e stagnatione sordium in colo transverso originem ducere, forsitan etiam illi organo leviolem rheumaticam affectionem adhaesisse judicavimus, quod adhibito eccoprotico et repetito vesicatorio apparuit. Alvo enim bis aut ter soluta, dolor ille evanuit. Etiam dolor in pectore residuus vesicatorio novo applicato sensim sensimque cessavit, ita ut stadio critico peracto remedia tonica ad vires erigendas in usum vocari possent.

Liceat nonnulla verba facere de illa auris affectione. Opinabatur nimirum aegrotus, vehementem illum dolorem profectum esse ab insecto, per noctem in aurem internam ingresso, ad quod necandum e re esse duxit usum olei amygdalarum amararum; quam ob rem dysecoyam, quam deinde accusavit, ab illius olei principio narcotico derivandam esse suspicati sumus. Neque vero illa suspicio confirmata est, quoniam aegrotus non oleum amygdalarum amararum, sed oleum amygdalarum commune accepit. Hinc fieri potuisse credimus, ut insectum quaecunque hominis, in herba recubantis aurem ingrederetur, injectoque oleo pingui necaretur, postea autem stimulo mechanico meatum auditorium externum continuo afficeret, tum vel sponte elaberetur, vel cum cerumine removeretur.
